

Adnotationes quaedam in Partem introductoriam Schematis "De Ecclesia
in mundo hodierno"

GS/14A

Ad num. 4.-

Pag. 1, lin. 43s: "... ad universum orbem progressive extenduntur et, ab ip-
sius hominis intelligentia et conatibus excitatae, in ipsum.."
1 Ratio: ope huius parvae mutationis iam inde ab initio innui-
tur influxus idearum in mundi evolutione, qui influxus in
textu nondum satis explicite memorantur.

1, 55 - 2, 1: "... tam graviter in opposita distrahitur, dum dissensiones ^{politice, sociale, denique...} in-
ter homines diversarum stirpium (racismus) imminutae non sunt, et
2 aliunde novum bellum..." Ratio huius additionis est ut quoque
no inde ab initio sermo fiat de racismo, cuius momentum neminem fu-
git.

Ad num. 5.-

2, 7: "per praevaletentes scientias de re mathematica, physica ac biologica,
3 nec non de ipso homine tractantes, et in actione..." Haec emendati-
no fit ad sensum adnotationis iam in Commissione factae et approbatae.
Additur explicita mentio de scientiis biologicis, quia in linguis mo-
dernis eae non veniunt sub generica denominatione scientiarum physica-
rum.

2, 10: "Technicae artes in via sunt ut facien terrae transforment et post..."
4 Ratio: Sic sensus accuratius redditur, ne ex nimia scilicet generalisa-
no tione affirmatio a veritate recedere videatur propter insufficientem
considerationem rerum status in regionibus adhuc progredientibus.

2, 11: Post orationem que verbo "conatur" clauditur, sequens comma addatur:
5 "Exinde talis historiae acceleratio procedit, ut unusquisque hominum
no eam sequi vix possit, et ambitus humanae conversationis talis consti-
tuitur ut minus in dies ab inexculata rerum cursu pendeat." Ratio:
1.39m Haec phrasis est simul et praecedentium explicatio et ostensio effec-
tum inde provenientium.

2, 12: "Super tempora quoque homo quodammodo sui intellectus dominium dilatat
6 ; versus praeterita scilicet ope perfectioris cognitionis historicae,
no versus futura, verisimilium computatione rationum (calculo probabili-
tatis), prospectiva et planificatione." Ratio: Emendatio intendit dif-
ficultates circa dominium super tempora motas superare. Ad hoc dominium
explicandum adhibetur tum verbum "quodammodo", tum verbum "intellectus",
quibus emendationibus satis clare apparet sensus affirmationis, ut vi-
detur. Distinguitur quoque inter planificationem et prospectivam, utpote
res inter se diversas.

2, 15: Pro verbo "partim" suadetur "praesertim", quod verbum magis videtur
7 obiectivae realitati respondere.

2, 20: Pro "mentes hominum" suadetur "homines", quia influxus non videtur ad
8 solas hominum mentes restringi.

2, 23: "Quodcumque magni accidit, statim in omnibus orbis plagis cognoscitur
9 et concatenatas..." Ratio: Textus ita intelligendus est ut non de sin-
no gulis hominibus eventuum cognitio praedicetur, quod non esset undequa-
que verum, sed magis de facto propagationis notitiarum, modo quasi geo-
graphice universalis.

(Ad num. 6)

2, 27: Oratio claudatur puncto post verbum "divisus", caeteris omissis, quae
10 modo aliquantulum diverso post lin. 11 addita sunt.

2, 29: Pro "omnia", scribatur "plurima", ut vitetur generalisatio.
11

Ad num. 6.-

2, 36: Pro verbis "radicaliter immutantur" scribatur "...in dies magis profundae immutationes experiuntur." Ratio: Textus receptus in hac parte nimis absolutus videtur. Ut de variis rationibus in terrarum orbe existentibus debita ratio habeatur, ad celeritatem praesertim procesuum quod attinet, emendatio superius descripta proponitur.

12 m/m

2, 37: "Tendentia ad typum sic dictum..." Sensus huius emendationis est ut magis insistatur in tendentia ad praevalentiam, quam in facto eiusdem praevalentiae, quod factum non ita universale videtur ut iam praevalere, quamvis paulatim, affirmari posse.

insist 13/2

2, 46s: "...adhuc progredientes, qui suis regionibus beneficia industrialisationis ac urbanisationis tribuere cupiunt." Haec emendatio proponitur ut versio textus gallici magis accurata evadat.

14 ai

Ad num. 7.-

2, 48ss: "Mutatio structurarum ac sentiendi formarum apud multos passim in dubium vocat sententias ubique receptas et mores ab antiquo inductos. Etenim instituta, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita, non amplius illis plene statui rerum hodierno aptari videntur. Inde perturbatio in modo et in ipsis eorum normis agendi, praesertim apud iuvenes, qui inquietudine animi non semel ad rebellionem excitantur." Ratio: Primis emendationibus textus latinus fidelior redditur per respectum ad originalem gallicum. Inde a secundo commate, scopus emendationis propositae est ut clarius ostendatur distinctio inter ipsam naturam rerum non semper contingentium, et iudicium quod de ipsis ab hominibus efformatur, quod iudicium revera non semper nec satis ad ea quae immutabilia sunt respicit.

15

no

2, 54-57: "Plures beneficiis sat materialibus evolutionis utuntur quin eius sensum profundiorum invenire cupiant aut possint. Alii hunc sensum evolutionis hodiernae detegere satagunt, quo melius res componantur et humaniori modo personae sese evolvant. (evolvant)." Haec emendatio vitare intendit sensum quasi iniuriosum quo textus accipi posset.

16?

2, 58: Pro "religionis" scribatur "religiosam", et consequentes, in lin. 59 deleatur verbum "Credentes" et pro eo scribatur "eam". Pariter in linea 60 deleantur verba "ab eis". Ratio harum emendationum est desiderium ostendendi superstitiones non tantum vitam religiosam individualement afficere, sed crebro in sociali conditione validum fundamentum invenire. Insuper verbum "credentis" non videtur omnino accuratum pro hominibus cuiusvis religionis.

17 ai

3, 2: Oratio claudatur puncto post verbum "videntur". Deinde, omisso verbo "dum" incipiatur nova a linea hoc modo: "Dei negatio vero ...proponunt. Insuper in pluribus regionibus haec Dei negatio non tantum in philosophorum cogitatibus hodie exprimitur, sed latissime..." His emendationibus duo intenduntur. Primo, ut textus fidelior evadat per respectum ad textum gallicum ad orationum divisionum quod attinet. Secundo, ut ratio habeatur diversarum rationum circa hanc rem in diversis orbis partibus.

18

ai

Ad num. 8.-

3, 12: "Rumpitur inter conditiones vitam agendi multorum in medio multitudinis et..." Sic, ut videtur, clarius redditur sensus textus gallici.

19 no

3, 17: Post verba "in familia," addatur verbum "sive"; cf. tx. gallicum.

20 ai

3, 18: Scribatur: "...sive ex experientia novae necessitudinis..." Sic tx. gallicus. Textus latinus receptus non bene intellegi potest.

21 ai

3, 22s: "Discrepantiae inter Instituta internationalia ex pacis desiderio populorum exorta, et egoismum collectivum vel ambitionem propriae ideologiae, quae mutuas diffidentias et inimicitias incessanter fovent."
22 ai Scopus emendationis est servare genus oppositionis, prout in tx. gallico invenitur. Pro "incessanter" melius esset dicere "indesinenter".

3, 25s: Post verba "aerumnae acerbissimae" addatur "... quibus sensus infaustae eventuum successionis comitantur, quarum ipse homo...". Verbis sublineatis conamen fit reddendi verbum gallicum "échec", qui in textu latino forsitan casu cecidit.
23 no

Ad num. 9.-

3, 33⁹ "Nationes recenter ad independentiam politicam promotae, de bonis civilisationis hodiernae, non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in actione mundi fungi cupiunt. Dum autem hae nationes lente progrediuntur, in dies augetur distantia ab aliis ditioribus nationibus/nec non ab illis oeconomica earum dependentia. Populi fame egentes populos opulentiores interpellant." Rationes: pro prima emendatione est desiderium ostendendi differentiam inter independentiam politicam et oeconomicam. Insuper, pro verbo "cultura" adhibetur "civilisatio" quia unica cultura non adest. Deinde additur nova oratio quae ostendere vult factum distantiae progressive auctae inter nationes divites et egentes. Comma denique quod incipit "Populi fame..." hic transfertur quia melius connectitur cum praecedentibus; aliquantulum tamen immutatur ne impressio exoriatur alicuius eleemosynarum iteratae postulationis.
24 ai
25/2
26 no

3, 38: Post verbum "volunt" sequens comma addatur: "Prima forsitan vi e humanum genus arbitrari audet civilisationis beneficia in bonum omnium hominum revera venire posse." Sic clarius exprimitur sensus humanitatis qui characteristicus nostrorum temporum iure dici potest.
27 ai

3, 41: Hic addatur nova a linea in hunc modum: "Talis evolutio, tum in suis causis, tum in decursu processus eius, cum variis modis cogitandi seu etiam philosophandi, cum diversis rationibus vitam ethicam aut aestheticam agendi, cum denique maximis habitudinibus religiosis arte connectitur. Ideo ~~admiranda~~ processus mere mechanicè illa evolutio assimilari nequit. Notandum est autem quod non paucae ideae quibus conscientia hodierna quodammodo imbuitur et regitur non directe pendent a civilisatione ut aiunt technica, sed saepe saepius in lucem pervernerunt cum ideae quasi proprio suo marte evolvebantur. Verum hodie novum studium circa res culturales necnon religiosas apud plures scaturire conspicitur." Ratio huius additionis est ut aperte ostendatur influxus idearum in mundi evolutionem, et ut non ita res proponi videantur quasi ex evolutione technica omnia etiam idearum systemata provenire dicantur.
no

Ad num. 10.-

3, 43: "... in bivio positus inter libertatem et servitutem, inter progressus et recessus, inter fraternitatem et odium." Quae sublineantur sunt versio textus gallici, quae casu forsitan in latino textu ceciderunt.
28 ai

3, 53-55: Pro tribus ultimis his lineis scribatur: "Ecclesia veluti sacramentum salutis pro omnibus hominibus a Christo positum, humanae sortis solidaria, de plena vocatione hominis in terris et in coelum, testimonium vivum indesinenter reddere quaerit. Ita Ss. Concilium, servata uniuscuiusque hominis libertate et autonomia, ad solutionem detegendam illarum quaestionum pro suis viribus adjuvare intendit."
29/2

Haec ultima emendatio proponitur quia textus sic dictus receptus videtur aliquantulum romanticus eo quod videatur affirmare homines ab Ecclesia solutiones quaerere et expectare; quod certe valet de christifidelibus et de nannullis aliis hominibus. Insuper prae oculis habendum est Ecclesiam non ad omnia problemata solutiones praebere posse, aliisque vere indigere. Sublineandum quoque est Ecclesiam non tantum passive quaestiones ab hominibus proponendas expectare, sed et ipsa illas quaestiones et problemata hominibus proponere.

Romae, d. 6 Aprilis 1965.

+ Marcus McGrath R., C.S.C.,
Episcopus Sancti Iacobi de Veraguas
in Panama.



PATRIMONIO UC